

Utrisque verò principiis, materiâ nim. & formâ, simul inter se comparatis concretè spectatus Motus localis est 1. vel *velox*, vel *tardus*: 2. vel *regularis* vel *irregularis*. Ut supra definivimus.

§. 12. Sed hæc ipsa magis *extensiva* Motûs localis forma dici potest, & *extensiva* modalitas. Præter hanc in motu locali præcipuè venit attendendus IMPETUS, tanquam modalitas *intensiva* motûs in corpore localiter moto, nempe directionis versus certam plagam vis, actus ipse motivus, nisus, conatus, motio. Quæ sæpius est sine promotione, sine progressu, l. *apparenter*; quando res circumfistentes omnes similiter impelluntur & procedunt, ut nulla notari possit differentia, l. *realiter*, quando contrarius & æqualis impetus hunc sufflammat. Ubi verò non sufflammat impetus, illicò se prodat ipso progressu rei sic impulsæ.

§. 13. Cæterum hæc ipsa motio, nimirum impulsus, terminatur non, ut motus durationis restitutorius, in corpore moto, quod eam vim à Motore primum excipit & eâ movetur: Nec etiam motus localis in corpore passivam tantum rationem habet, ut motus durativus in rebus fluxis; sed insimul activitatem impresso sibi communicatam impetu participat, ut ipsum corpus localiter motum localiter porro moveat aliud sibi contiguum corpus, ita quidem, ut impetus à motore quodam impressus ab uno corpore per intermedia plura sibi mutuò contigua propagari possit in infinitum, nisi contrario (versus oppositam huic plagam directo) nisu vel impetu subsequentium & sic obstantium corporum inhibeatur, & vel successivè frangatur, l. elidatur l. reflectatur, l. in ipsum oppositum vertatur.

§. 14. Impressionis autem propagatio pro materiâ propriâ, l. pro subiecto formali sibi velut idoneo, supponit corporum ita contiguè sitorum *Impenetrabilitatem*, i. e. internam illam cujusque partis extra partem sitæ constitutionem, qua pars corporis quælibet, licet divisibilis sit in particulas quotcunque separabiles à se mutuò; nequit tamen intra sui complexum admittere partem corporis aliam, aut ipsum corpus aliud, sive minus fuerit, sive non, ita quidem, ut admissio quodam extraneo corpore, quantulocunque, tota substantia corporis admittentis non interrumpatur, aut vice cor-

poris